

liter; immo nec alicubi localiter, proprio loquendo, Et de hoc salis dictum est, 2. *Sentent.* (dist. 2, q. 1).

\* Et ista possunt sufficere ad argumenta Scoti.

**III. Ad argumentum Aureoli.** — Ad dicta Aureoli contra eandem conclusionem, dicitur, negando antecedens prime formae. Quia, sicut dictum fuit (ad primum eorum que secundo loco objicit Scotus), idem corpus esse in diversis locis (2) localiter, implicat contradictionem primi modi, scilicet affirmationem et negationem de eodem subiecto invicem. Sequitur enim ex hoc prima contradictione, quod idem corpus est comprehensum a loco, et idem corpus non est comprehensum ab eodem loco. Secunda est, quod idem corpus est locatum, et idem non est locatum. Et multae aliae contradictiones, superius deducunt ex dictis sancti Thomae. — Cum autem dicit arguens, quod in illo casu non sequitur quod corpus idem plurificetur, sed (6) situs, etc.; — dicitur quod ex illo casu sequitur quod corpus non plurificatur, cum maneat idem in duobus locis; et, simul cum hoc, sequitur quod idem corpus plurificetur, et non maneat idem, nec unum, nec indivisum: quia, si est in hoc loco localiter, ergo nihil ejus est extra hunc locum; ergo omne quod est in alio loco localiter, est aliud ab isto corpore, et ab omni parte ejus, et non est hoc corpus, nec aliquid corporis hujus; igitur existens in secundo loco non est idem cum existente in primo loco, sed aliud; et sic sunt duo distincta corpora. Et ista sufficientia Aureolo.

Ad argumentum contra questionem, responsum est supra, in probatione secunde conclusionis, per dicta beati Thomae (4. *Sentent.*, dist. 40, q. 1, art. 1, ad 5<sup>am</sup>) in forma respondentis ad illud.

Et haec de questione sufficientia. De qua benedictus Deus. Amen.

## QUESTIO II.

UTRUM CORPUS CHRISTI

SIT IN EUCHARISTIE SACRAMENTO, VEL CHRISTUS  
TOTALITER

**E**TERUM, circa decimam distinctionem, queritur: Utrum corpus Christi sit in Eucharistie sacramento, vel Christus totaliter.

Et arguitur quod non. Quia Christus incipit esse in hoc sacramento per conversionem panis et vini. Sed manifestum est quod panis et vini non possunt converti neque in divinitatem Christi, neque

(2) *diversis locis.* — *eodem loco* Pr.

(6) *sed.* — *secundum* Pr.

in ejus animam. Cum ergo Christus exsistat ex tribus substantiis, scilicet divinitate, anima, et corpore, videtur quod Christus non sit totus in hoc sacramento.

In oppositum arguitur. Quia dicit Ambrosius, in libro *De iis qui mysteriis initiantur* (cap. 9). *In isto sacramento totus Christus est.*

In hac questione tres erunt articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

### ARTICULUS I.

#### PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio:** Quod Christus est totus et totaliter in hoc sacramento, quod omnem sui substantiam.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 76, art. 1, dicens: « Omnino necesse est confiteri, secundum fidem catholicam, quod totus Christus sit in hoc sacramento. Scendum est tamen quod aliquid est in hoc sacramento dupliciter: uno modo, ex vi sacramenti; alio modo, ex naturali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti est sub speciebus hujus sacramenti id in quod directe convertitur substantia panis et vini preexistens, prout significatur per verba formae, que sunt effectiva in hoc sacramento, sicut et in easteris: puto cum dicitur, *Hoc est corpus meum, Hic est semper meus.* Ex naturali autem concomitantia est in hoc sacramento illud quod est realiter conjunctum ei in quod predicta conversio terminatur. Si enim aliqua duo sunt realiter conjuncta, ubiquecumque est unum realiter, oportet et aliud esse. Sola enim operatione anime distinguuntur que sunt realiter conjuncta. » Haec illa.

Item, q. 75, art. 6, in solutione secundi, sic dicit: « Anima est forma corporis, dans ei totum ordinem esse perfectivum, scilicet esse, et esse corporis, et esse animatum, et sic de aliis. Convertitur ergo forma panis in formam corporis Christi, secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum quod dat esse animatum tali anima. » Haec illa.

Similia ponit, presenti distinctione, q. 1, art. 2, in solutione prime questionis.

Item, dist. 11, q. 1, art. 1, q<sup>ta</sup> 3, arguit sic, secundo loco: « Illud quod non mutatur in aliquid corporis Christi, oportet quod post consecrationem maneat. Sed forma substantialis panis non convertitur in aliquid corporis Christi: quia, si converteretur, oportaret quod converteretur in animam, que

est forma substantialis corporis Christi, in quam non convergitur aliquid. Ergo forma substantialis panis manet sicut accidentia. » Ecce argumentum. Sequitur responso : « Dicendum, inquit, quod anima non est forma qua perficiat uniformiter suum perfectibile in toto et in omnibus partibus; unde singule partes ex anima consequuntur perfectionem eis proportionabilem. Unde, quamvis in animam Christi, secundum quod est perfectio totius, non convertitur aliquid; tamen substantia panis tota, et quantum ad materiam, et quantum ad formam, convertitur in ipsum corpus Christi totum, secundum quod intelligitur accepisse congruentes perfectiones in singulis partibus, quia sic est organicum, et propria materia animae. » — Haec ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione : Ubiunque est aliqua causata et integra substantia Christi, est qualibet substantia Christi. Sed in Eucharistia est aliqua causata substantia Christi, puta caro et sanguis. Ergo ibi est qualibet substantia Christi, puta divinitas, anima, et sic de aliis partibus humanae naturae.

**Secunda conclusio est quod in Eucharistia est totus Christus totalitate quantitatis dimensiva, scilicet quod tota quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento.**

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 76, art. 4, ubi sic dicit : « Dupliciter aliquid Christi est in hoc sacramento : uno modo, ex vi sacramenti; alio modo, ex naturali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti, quantitas dimensiva corporis Christi non est in hoc sacramento : ex vi enim sacramenti est in hoc sacramento illud in quod conversio directe terminatur; conversio autem que fit in hoc sacramento, terminatur directe ad substantiam corporis Christi, non autem ad dimensiones ejus; quod patet ex hoc quod quantitas dimensiva panis manet, facta consecratione, sola substantia panis transeunte. Quia (z) tamen substantia corporis Christi realiter non dividitur a sua quantitate dimensiva et ab aliis accidentibus, inde est quod, ex vi realis concomitantiae, est in hoc sacramento tota quantitas dimensiva corporis Christi, et omnia alia accidentia ejus. » — Haec ille.

Item, art. 3, sic dicit : « Quia in hoc sacramento substantia corporis Christi est ex vi sacramenti, quantitas autem dimensiva ex vi realis concomitantiae, ideo corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiae, id est, per modum quo substantia est sub dimensionibus, non autem per modum dimensionum, id est, non per illum modum quo quantitas dimensiva alieius corporis est sub quantitate dimensiva loci. Manifestum est autem

quod natura substantiae tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur, etc. »

Item, art. 4, arguit sic, primo loco : « Totum corpus Christi continetur sub qualibet parte hostie consecrata. Sed nulla quantitas dimensiva tota continetur in aliquo toto, et in qualibet ejus parte. Ergo impossibile est quod tota quantitas dimensiva corporis Christi continetur in hoc sacramento. » Ecce argumentum. Sequitur responso : « Dicendum, inquit, quod modus existendi cuiuslibet rei determinatur secundum illud quod inest ei per se, non autem secundum illud quod est per accidens; unde et dulcedo est in visu secundum modum albedinis, et non secundum modum dulcedinis. Quia ergo ex vi sacramenti hujus est in altari substantia corporis Christi, quantitas autem dimensiva est ibi concomitans et quasi per accidens, ideo quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento non secundum proprium modum, ut scilicet sit totum in toto, et singule partes in singulis partibus, sed per modum substantiae, cuius natura est tota in toto, et tota in qualibet parte. » — Haec ille.

Idem ponit, prima questione hujus distinctionis, art. 2, in solutione tertie et quartae questioneularum. — Item, septimo *Quodlibeto*, art. 8, ponit idem.

Ex quibus possunt formari rationes pro conclusione. — Prima sic : De ratione corporis vivi est organizatio, que requirit diversum situm partium. Situs autem presupponit quantitatem. Ergo oportet quod corpus Christi, si sit vivum in sacramento, quod sit ibi sub propria quantitate. — Secundo sic : Subjectum nunquam separatur a propria passione. Sed substantie corporalis propria passio est quantitas dimensiva. Ergo, cum substantia corporis Christi sit sub sacramento, et quantitas ejus dimensiva erit in sacramento. — Tertio : Totalitas corporis attenditur secundum totalitatem quantitatis ejus, quia secundum quantitatem dividitur, et habet partes. Sed secundum Augustinum, totus Christus manducatur in sacramento. Igitur est ibi secundum totam suam quantitatem. — Quarto sic : Impossibile est aliquid esse alieni secundum partem quantitatis, et non secundum totam, nisi divisa quantitate ipsius. Sed quantitas corporis Christi non dividitur actu, quia corpus illud est incorruptibile. Igitur, cum in sacramento continetur aliquid quantitatis ejus, impossibile est quin continetur ibi tota. — Item : Quandocumque duo sunt realiter conjuncta, et neutrum excedit reliquum, sed utrumque adaequal alterum, ubicumque est realiter unum illorum, et reliquum. Sed sic est de corpore Christi et ejus tota quantitate. Igitur, etc. Dico autem notanter, quando neutrum excedit reliquum, propter instantias que possent dari de divinitate respectu humanitatis assumptionis, et de anima respectu suarum potentiarum.

Et in hoc primus articulus terminatur.

(z) *Quia.* — *Quare* Pr.

## ARTICULUS II.

## PONUNTUR OBJECTIONES

## § 4. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

**I. Argumenta Scoti.** — Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones. Et quidem contra aliqua contenta in declaratione primae conclusionis, scilicet quod ex vi sacramenti continetur in Eucharistia anima rationalis, non in quantum anima, sed in quantum dat esse corporum. Et quidem supponitur quod in Christo non est aliqua forma substantialis praeter animam rationalem, quae dat et esse substantialiam, et esse corpus, et esse animal, et esse hominem, etc. Arguit Scotus (dist. 11, q. 3).

**Primo** sic : Quia, si hostia consecrata in cena a Christo, in pyxide fuisset conservata, in triduo permanisset ibi eadem res primo contenta. Illud autem in quod fiebat primo conversionis, non fuit materia prima, nec accidentia, nec compositum ex materia et accidente; ergo compositum ex materia et forma substantiali. Illud ergo semper mansisset in triduo. Sed tunc non erat compositum ex prima materia et anima intellectiva : quia Christus fuit vere mortuus in cruce; et ita anima intellectiva vere fuit separata. Sed non potest simul esse separata et unita corpori. Igitur.

**Secondo.** Quia terminus hujus conversionis oportet quod sit ens reale; quia conversio est realis. Sed anima intellectiva, ut dat esse corporeum, distinguendo contra esse intellectivum, secundum te, non est esse reale, sed tantum quoddam abstractum per actum intellectus, sicut communem est aliquid preter singularia. Secundum te ergo ista conversio non potest esse in animam ut est dans esse corporeum.

**Tertio** sic arguit : Illud corpus quod ponis terminum conversionis primum, est corpus mathematicum, aut corpus naturale; non enim distinguit Philosophus corpus in plura. Si mathematicum, ergo includit actu quantitatem; ergo quantitas esset ibi primo ex vi conversionis; nec erit transubstantiationis, sed transaccidentatio, si accidens per se requiratur in termino. Si sit corpus naturale, ergo est naturale per formam substantiali, vel per qualitatem. Si primo modo, habetur propositum, quod illa forma non est anima intellectiva. Si secundo modo, cum qualitas naturalis presupponat quantitatem, adhuc habetur propositum, quod primus terminus conversionis includit materiali cum quantitate et qualitate; et ita erit dupliciter ens per accidens.

**Quarto.** Quia non efficaciora sunt verba super sanguinem, quam super corpus. Sed dicendo, *Hoc est sanguis*, vel, *Hic est calix sanguinis mei*, non potest ibi fangi terminus conversionis sola materia

sub modo quantitativo : quia illud non est sanguis; cum sanguis dicat aliquam substantialiam que generatur a nutrimento sumpto, et est proximum convertendum (2) in carnem; nec generaretur, nec converteretur, nisi haberet propriam formam substantialiem.

**Quinto.** Quia, cum dicitur, *Hoc est corpus*, corpus (6) non ponitur ad distractandum de veritate carnis et ossis et hujusmodi, sed potius ut includit omnes partes ejus quod est primo animabile. Sed, si diceretur, *Hoc est caro*, vel *os*, fictio videretur ponere terminum conversionis esse tantummodo materiali sub modo quantitativo, vel materiali sine forma substantiali. Ergo multo magis in proposito, accipiendo corpus ut est quoddam includens omnia illa, sicut hic accipitur.

**Sexto.** Quia ista via non solum non salvat sufficienter veritatem Eucharistie, sed nec salvat veritatem rei contentie in Eucharistia, scilicet (7) veritatem corporis et sanguinis Christi. Quia, sicut in existentia materiali, ita et in Eucharistia erat idem corpus vivum et mortuum, ut probatur per *taulatas auctoritates Sanctorum*. Similiter nec identitatem sanguinis effusi super terram de latere Christi mortui. Hec ille, cum multis aliis rationibus adductis super 2. *Sentent.* (dist. 15, q. 1), in materia de pluritate formarum in homine; que non sunt ad praesens propositum; ideo non recitantur (8).

**II. Argumenta Aureoli.** — Contra eandem conclusionem arguit Aureolus (dist. 11, q. 4, art. 1), et secundum idem, tripliciter.

**Primo.** Quia quando aliqua differunt sola ratione, impossibile est quod per aliquam actionem attingatur unum, et non aliud. Sed anima ut dat esse corporeum, per te, sola ratione differt a seipsa ut dat esse intellectivum. Transubstantiationis autem est actio realis. Ergo impossibile est quod attingat animam ut dat esse corporeum, quin attingat eam ut dat esse intellectivum. Ergo vi conversionis aequo directe anima est in sacramento ut dat esse intellectivum, sicut ut dat esse corporeum. Ergo videtur contradictione, quod terminus conversionis sit anima dans esse corporeum, et, ut est intellectiva, sit tantummodo terminus per concomitantiam.

**Secondo** sic. Nam Innocentius, in *de Officio Missae* (1) lib. 3, c. 74, dicit : *Ego, inquit, vitam aternam habere desidero; ideo carnem Christi comedo, veraciter illam quam extraxit de Virgine.* Tunc sic : Si in triduo aliquis apostolorum confecisset ; aut fuisset illa caro que hodie est ; aut

(1) *concentrandum*, — *concentendi* Pr.

(2) *corpus*, — *Om. Pr.*

(3) *adiret*, — *secundum* Pr.

(4) Cfr. vol. 3, pag. 64.

(5) Innocentius III, *Pont. max.*, est auctor hujus tractatus, qui habet etiam titulum *de Sacro Altaris mysterio*.

non. Si sic, habetur propositum; quia illa caro que tunc fuit, non includebat animam Christi ut dat esse corporeum, sed aliam formam carnis. Si vero non sit eadem caro que hodie est in Eucharistia, et illa que fuisset in triduo, ergo non est sacramentum semper uniforme. Et sequitur ulterius, quod illa caro que est hodie, non est illa a qua fluxit sanguis in cruce, et que jacuit in sepulchro; quia sanguis exivit a carne separata ab anima rationali, ut habetur, Joan. 19 (v. 33 et 34). Similiter, sequitur quod hodie non fit transubstantiatio in sanguinem qui emanavit de Christi latere, quia ille non erat animatus.

Tertio sic, ex eadem auctoritate. Nam dicitur ibi: *Illam carnem manducō, quam Christus de Virgine traxit.* Sed constat quod Christus non traxit de Virgine animam, cum anima non sit extraducere. Igitur, etc. — Hec Aureolus, in forma.

**III. Argumenta Henrici.** — Contra eandem conclusionem arguit Henricus, nono *Quodlibeto*, q. 8, ubi primo (2), post multa argumenta quibus probat in homine esse aliam formam substantialiem praeter animam rationalem, infert sic: Ex parte corporis, patet in quid fit conversio: quia in corpus aliam formam habens praeter animam rationalem. Item, videndum est ex parte conversionis. Quia tota substantialia panis convertitur in verum corpus; quia est ibi, et non aliter nisi per conversionem. Et ideo, cum materia non sit corpus, non fit conversio in solam materiam. Tunc enim, cum minus esse habeat materia quam forma substantialis, habens maius et verius esse converteretur actione divina in minus esse; quod est inconveniens: quia, sicut Deus nulli est causa tendendi in non esse, secundum Augustinum, *Octoginta trium Questionum* (q. 21), ita nec tendendi in minus esse; quia utrumque sonat in defectum. Ergo tota substantialia panis non convertitur in materiam. Item nec in materiam cum intentione corporeitatis absque re alicuius formae; quia sic non esset conversio in corpus reale, sed rationis. Unde non fit conversio in rem que est anima rationalis, sicut nec in divinitatem; licet quedam nova positio dicat quod conversio fit in animam secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum quod dat esse animalium tali anima. Sed, si hoc esset, tunc non esset conversio in corpus generalium ex Virgine, quia anima rationalis secundum nullam rationem generata est; quod falsum est, quia dicit Ambrosius (libr. *De iis qui initiantur mysteriis*, cap. 9), quod conficiuntur corpus quod de Virgine est.

**Secundo.** Quia, si ita esset, tunc in triduo, anima separata a corpore, non potuit dici quod corpus Christi fuit in sepulchro, nisi secundum materiam.

(2) ubi primo. — dicens Pr.

Nec fuisset facta consecratio nisi in nudam materiam, et non in corpus: quia deficiebat terminus conversionis; quia corpus Christi non est corpus, ut dicunt, nisi ab anima rationali; nec fuit illud corpus idem vivum et mortuum, nisi unitate suppositi. Et sic in triduo non fuissent vera verba consecrationis, *Hoc est corpus meum*.

**Tertio.** Si hostia consecrata ante mortem Christi fuisset servata, cum fuisset anima separata in morte, non mansisset corpus; et sic, in auctentibus speciebus, defecisset res sacramenti, et non fuisset corpus Christi sub hostia; que sunt inconveniens; nec possunt evadi, nisi ponendo formam aliam in homine praeter animam. Fit ergo conversio in tale corpus, quod mansit in triduo idem quod prius; et consecratum remansisset, nisi quod, hora mortis in cruce, mortuum fuisset per separationem animae. Unde dicit Guillelmus Altissiodorensis (*Summa*, lib. 4, tract. *de Euch.*, cap. 5), quod, « si corpus Christi fuisset servatum in pyxide, concedenda esset ista, *Corpus Christi moritur in pyxide*. Nec per hoc intelligitur aliqua nova proprietas advenire; sed sensus est: *animus Christi incipit non esse hic.* » Et sic non est ponendum quod maneat materia nuda sine forma; nec quod forma cadaveris introducatur. Et sic stat quod divinitas et anima non sunt in sacramento ex vi sacramenti, licet sint ibi per naturalem concomitantiam, quamdiu anima conjuncta fuit, praeter triduum. Et ideo non valet quod moderni dicunt, quod conversio fit in animam secundum quod dat esse corporeum; tamen, ut est rationalis, non est nisi per concomitantiam. In modo fit conversio in corpus quod habet aliam formam. In bruto autem, cum non sit alia forma quam anima, si virtute divina, fieret conversio alicuius in corpus bruti, dicendo, *Hoc est corpus bruti*, anima bruti esset ibi vi verborum, et non per concomitantiam, quoad illud quod est ibi secundum rem, licet bene (2) quoad rationem (3) vegetabilis et sensibilis; aut (4) non esset conversio in corpus, sed tantum in materiam et partes ejus, que corpus non appellatur. — Hec Henricus, in forma.

## § 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

**I. Argumenta Durandi.** — Contra secundam conclusionem arguit Durandus, probando quod in Eucharistia non sit quantitas dimensiva corporis Christi.

**Primo (2).** Quia non sequitur: Quantitas Christi

(2) licet bene. — Om. Pr.

(3) autem Ad. Pr.

(4) aut. — Om. Pr.

(5) Hoc argumentum et tria sequentia reperiuntur, quoad sensum, apud Durandum, *4. Sentent.*, dist. 10, q. 2. Auctor vero ea refert juxta formam quam habent apud Petrum de Padude, praesenti distinctione, q. 2.

non separatur a corpore suo; ergo est cum corpore in sacramento, per concomitantiam. Sicut enim locus cœli non separatur ab eo secundum contatum, qui tamen non propter hoc est in sacramento; sic videtur esse hic.

**Secundo sic.** Cessante causa, cessat effectus. Et ideo, cum corpus Christi sit hic propter ordinem quem habet ad species, ut substantia, non ut quantum; ergo est hic substantia, et non quantitas.

**Tertio.** Quia quod aliqui arguunt, valet. Dicunt enim quod non sequitur: Deus facit quod ( $\alpha$ ) calidum præsens calefactibili non ( $\beta$ ) comparetur ei in ratione calefacientis; suspendendo actionem, et retinendo calorem ( $\gamma$ ); ergo, licet non faciat quantitatem corporis Christi esse in se indivisibilem, quia hoc esset contradicatio, potest tamen facere ipsam comparari ad species, que sunt extra, modo indivisibili. Hoc autem non est simile. Quia quod sequitur ad approximationem agentis ad patiens, est aliquid absolutum, quod Deus potest impeditre. Sed, sicut non potest facere quod qualitates ( $\beta$ ) unius rationis ad invicem comparatae, una non sit inferior alia, vel aequalis; sic etiam nec quantitates ad invicem, quin una sit major, aut minor, aut aequalis, quo facto, sic non comparetur dissimiliter ad totum et partem, vel pars ad partem, et totum ad totum, etc.

**Quarto sic.** Impossibile est quod quantitas comparetur quantitatibus modo naturæ incompossibili. Sed modus naturæ quantitatis est divisibilitas. Ergo impossibile est quod quantitas comparetur modo indivisibili. Sed, si quantitas corporis Christi præsens esset speciebus modo substantiae, compararetur ad eas modo indivisibili. Igitur, etc.

**Quinto ( $\alpha$ ).** Quia substantia potest comparari ad locum circumscriptivum mediante quantitate quam habet, et sequitur modum quantitatis; quia hoc non repugnat sua naturæ. Licet enim substantia non sit divisibilis aut quanta secundum se, est tamen quanta et divisibilis per accidens, ratione quantitatis sibi inherenter, per quam extenditur. Sed quantitas, cum de ratione sua intrinseca habeat partes positione ( $\zeta$ ) distinctas, et per hoc sit divisibilis, nullo modo potest sibi competrere respectu cujuscumque alterius indivisibiliter se habere; propter quod non comparari potest ad locum modo substantiae, ut tota sit sub speciebus, et tota sub qualibet parte.

**Sexto.** Quia anima rationis, que secundum se

est indivisibilis, quamvis sit in corpore quanto, et mediante eo, sit in loco; tamen non comparatur nec comparari potest divisibiliter, seu quantitative, ad ipsum corpus quantum, nec ad ejus locum; immo ipsa tota est in corpore et in qualibet parte corporis, et similiter se habet ad locum continens corpus suum. Ergo similiter, quantitas, que, de se et de natura sua intrinseca, est divisibilis, quia habet partes positione differentes, quamvis sit in substantia, que de se est non quanta nec divisibilis, non potest ratione substantiae comparari ad aliquid indivisibiliter; sed necessario comparatur quantitative et divisibiliter, ita quod necessario se habet dissimiliter ad totum et ad qualibet ejus partem. Et sic, si quantitas corporis Christi est in sacramento per concomitantiam ad substantiam, non apparebit possibile qualiter ipsa tota possit esse aequaliter præsens speciebus et qualibet parti specierum.

**Septimo.** Quia ubicumque est substantia ut se realiter, ibi est substantialiter; quia iste modus est ab ea inseparabilis. Ergo, similiter, ubicumque est quantitas in se realiter, est ibi quantitative, quia iste modus est sibi essentialis, vel inseparabilis. Sed illud quod inest quantitative alieni, non potest comparari ad totum, vel ejus partem, constitutile. Igitur ut prius. *Hoc Durandus.*

**II. Argumenta Scotti.** — Contra eamdem conclusionem arguit Scottus (dist. 10, q. 4), probando quod modus ponendi corporis Christi quantum non quantitative in Eucharistia, non sit conveniens.

**Primo.** Quia nunquamque, sive si primus terminus transsubstantiationis, sive secundus, si tamen est ibi, habet proprietates suas, quae sibi necessario et naturaliter convenient. Quod probatur ex eo quod, si Deus creeret substantiam quantam, vel natura generet substantiam ut concomitetur quantitas, utriusque productionis primus terminus est substantia, et terminus concomitans est quantitas; et tamen tam in genito quam in credo quantitas habet suum modum realem, sicut haberet, si primo terminaret aliquam mutationem. Et hoc probatur per rationem. Quia alia et alia ( $\alpha$ ) habitudo ad agens non variat naturam rei, hoc est, prima vel secunda, mediata vel immediata, dum tamen producatur; quia nec habitudo ad aliud agens variat naturam rei acte, secundum Augustinum, *3. de Trinitate* capitulo 9. Non ergo carebit quantitas suo proprio modo naturali, propter hoc tantum quia non est primus terminus transsubstantiationis, dum tamen sit ibi realiter, sive primo, sive secundo, per illam mutationem.

**Secondo sic.** Si per conversionem sit terminus ad quem ubi prius fuit terminus a qua, ergo modus essendi hujus et illius erit similis (ille saltem qui

( $\alpha$ ) *quod.* — Om. Pr.

( $\beta$ ) *non.* — nisi Pr.

( $\gamma$ ) *ergo in se non est calidum, vel calefactionem.* Ad Pe.

( $\delta$ ) *qualitates.* — *quantitates.* Pr.

( $\epsilon$ ) *Hoc argumentum et duo sequentia inveniuntur, etiam quoad formam, apud Durandum, dist. 10, q. 2.*

( $\zeta$ ) *positione.* — *possibilis.* Pr.

( $\alpha$ ) *et alia.* — Om. Pr.

potest esse communis utriusque). Sed panis conversus, erat hic quantitative, suo modo; quia sub quantitate, habens partem extra partem. Ergo et substantia corporis Christi, existens hic ex vi conversionis, erit hic suo modo, quantitative, habens scilicet partem substantiae sub parte quantitatis; et tunc quantitas eius erit hic proprie dimensive.

**Tertio.** Quia positio que est differentia quantitatis, necessario est in quanto continuo permanenti. Et istam oportet salvare in proposito, quae scilicet dicit ordinem partium in toto: non enim est intelligere aliquid esse dimensionatum, quin sit significare in toto ordinem hujus partis ad illam secundum quantitatem interminatam. — *Hic ille.*

**III. Argumenta Aureoli.** — Contra eandem arguit Aureolus (dist. 10, q. 3, art. 2), probando quod non ideo quantitas corporis Christi in Eucharistia absolvitur a legibus quantitatis quia non est ibi nisi per concomitantiam.

**Primo.** Quia, secundum te, dimensiones interminate non sunt in materia, nisi per formam: ita quod concomitantur formam in materia; et generatio, que per se terminatur ad formam, terminatur secundario et per accidens ad quantitatem; et quantum dat generans de forma, tantum dat de quantitate. Sed, hoc non obstante, quod quantitates sint in materia per concomitantiam, non absolvuntur in se a legibus quantitatis; alias omne corpus esset indivisible secundum suam quantitatem, etc.

**Secondo.** Quia, si ratio tua sit bona, quod quia substantia est ibi sine legibus quantitatis, ideo illae dimensiones sint sine proprietatibus quantitatis, eo quod sunt ibi per concomitantiam substantiae; per eandem rationem, sequitur quod istae dimensiones ibi sint ad indivisibilitatem reductae, quia sunt ibi modo substantiae, que de se indivisibilis est.

**Tertio.** Quia omne accidentis, etsi sit posterius suo subjecto, in illo tamen posteriori quo advenit subjecto, ponit suum effectum formalem et suarum passionum circa subjectum: sicut albedo, in posteriori quo advenit subjecto, dat esse album. Sed, per te, in Sacramento Altaris est vera quantitas corporis Christi realiter, licet per accidens. Ergo in illo posteriori dabit esse quantum corpori, et alias passiones quantitatis.

**Quarto.** Illud quod concurrit cum substantia ad fundandum ordinem ad divisibilitatem, videtur habere per se ordinem ad illam. Sed quantitas cum substantia concurrit ad fundandum illum ordinem. Quia illa substantia corporis Christi, aut est divisibilis, aut indivisibilis. Si, ut fundat illum ordinem partium ad invicem, sit divisibilis; ergo per quantitatem; et habetur propositum. Si sit indivisibilis; ergo non habet partes; et sic corpus Christi in

sacramento non habet caput, nec (z) plura membra.

— *Hic ille, in forma.*

Et in hoc secundus articulus terminatur.

### ARTICULUS III.

#### PONUNTUR SOLUTIONES

##### § 1. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIÖNEM

**I. Ad argumenta Scotti.** — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supra dictis. Et quidem

Ad primum Scotti contra primam conclusionem, dicitur quod, in illo casu quem tangit argumentum, eadem modo remansisset in Eucharistia res primo ibi contenta, eadem numero vel specie, sicut remansit eadem extra Eucharistiam, puta in sepulchro vel supra terram. Nec oportet dare majorem identitatem corpori vel sanguini Christi pro tunc in Eucharistia, quam habererit pro tunc extra Eucharistiam. Corpus autem et sanguis Christi in triduo non fuerunt extra Eucharistiam eadem que prius, identitate specifica, propter unitatem alieujus formae substantialis remanentis in corpore Christi vel sanguine mortuo, et prius existentis in vivo; sed fuerunt eadem numero propter tria, scilicet propter unitatem materie, propter unitatem suppositi, et propter unitatem ejusdem esse actualis existentiae, secundum quod declarat Bernardus de Gannato in impugnationibus *Quodlibeti* 9 Henrici, q. 8, et 1. *Quodlib.*, q. 4, et 2. *Quodlib.*, q. 2 et 3. Item sanctus Thomas, 3 p., q. 50, art. 5, sic dicit: « Hoc quod dico *simpliciter*, potest dupliceiter acipi. Uno modo, prout *simpliciter* idem est quod *absolute*; sicut *simpliciter dicitur, quod nullo addito dicitur*, ut Philosophus dicit (2. *Topicorum*, cap. iiii.). Et hoc modo corpus Christi mortuum et vivum, fuit simpliciter idem numero. Dicitur enim simpliciter aliquid esse idem numero, quia est idem supposito. Corpus autem Christi vivum et mortuum, fuit supposito idem: quia non habuit aliam hypostasim, vivum et mortuum, preter hypostasim Verbi Dei. Et hoc modo loquitur Athanasius, in Epistola ad Epictetum, dicens: *Circumiso corpori, et potato, et manducanti, et laboranti* (6), *et in ligno affixo inerat impassibile et incorporatum Dei Verbum; hoc erat in sepulchro positum.* Alio modo, *simpliciter* idem est quod *omnino* vel *totaliter*. Et sic corpus Christi vivum et mortuum, non fuit simpliciter idem numero: quia non fuit totaliter idem, cum vita sit aliquid de essentia corporis viventis; est enim *predicatum essentiale*,

(z) *ne*. — *nisi Pr.*

(6) *et laboranti*. — *elaboranti Pr.*

non accidentale; unde consequens est quod corpus quod desinit esse vivum, non totaliter idem remaneat. Si autem diceretur quod corpus Christi mortuum, totaliter idem numero remaneret, sequitur quod non esset corruptum, corruptione glico mortis; quod est haeresis Gaiatarum, ut dicit Isidorus (8. *Etimolog.*, cap. 5), et habetur in Decretis, caus. 24, q. 3 (can. *Quidam autem*). Et Damascenus dicit (*de Fid. Ort.*), in tertio libro (c. 28) quod nomen corruptionis duo significat: uno modo, separationem animae a corpore, et alia hujusmodi: alio modo, dissolutionem in elementa. Ergo incorruptibile dicere corpus Domini, secundum Julianum et Gaiatum, secundum primum corruptionis modum, ante resurrectionem, impium est; quia corpus Christi non esset consubstantiale nobis, nec in veritate mortuum esset, nec secundum veritatem salvati essentis. Secundo modo autem, corpus Christi fuit incorruptum. — Haec ille. — Item, tertio *Quodlibeto*, art. 4, querit: Utrum oculus Christi post mortem fuerit aequivoce oculus. Et respondet sic: « Aequivoce et univoco dicuntur secundum rationem diffinitivam eamdem; vel non eamdem (z). Ratio autem diffinitiva cuiuslibet speciei sumitur a forma specifica ipsius. Forma autem specifica hominis est anima rationalis. Unde, remota anima rationali, non potest remanere homo univoce, sed tantum aequivoce. Oportet autem idem accipere in partibus quod est in toto: nam sicut anima se habet ad totum corpus, ita pars animae se habet ad partem corporis ut visus ad oculum, ut dicitur, 2. *de Anima* (t. c. 9). Unde, separata anima a corpore, sicut non dicitur homo nisi aequivoce, ita nec dicitur oculus nisi aequivoce; et hoc indifferenter, sive presupponatur alia forma substantialis in corpore ante animam rationalem; ut quidam volunt, sive non, ut magis videtur consonum veritatis. Quodecumque enim principiorum essentialium substrahatur, jam non remanebit eadem ratio speciei; unde nec nomen univoce dicitur. Solo autem hoc modo recedente anima, remanet corpus humanum et ejus partes secundum eamdem rationem speciei, si anima non uniretur corpori ut forma. Sed tunc sequeretur quod nec per unionem animae esset substantialis generatio, nec per separationem corruptio; quod quidem ponere in corpore Christi est haereticum, etc. » Item, secundo *Quodlibeto*, art. 4, sic dicit: « De Christo in triduo mortis possumus loqui dupliciter. Uno modo, quantum ad personam vel hypostasim; et sic est idem numero simpliciter, qui prius fuit. Aut quantum ad naturam humanam. Et hoc dupliciter. Uno modo, quantum ad totam naturam, que humanitas

dicitur; et sic Christus non fuit homo in triduo mortis; unde nec idem homo, nec aliis homo, sed eadem hypostasis. Aut quantum ad partes humanae naturae; et sic anima quidem omnino fuit eadem numero, eo quod non est transmutata; secundum corpus vero fuit idem numero secundum materiam, sed non secundum formam substantialiem, quae est anima. Unde non potest dici quod simpliciter fuerit idem numero: quia quilibet differentia substantialis excludit idem simpliciter; anima autem est differentia substantialis; et ideo mori est corrumphi, non alterari tantum. Nec iterum potest dici quod simpliciter (z) sit non idem, vel aliud; quia non est secundum totam substantialiam non idem, vel aliud. Secundum est ergo quod secundum quid est idem, et secundum quid non idem: secundum materiam enim est idem; secundum formam vero non idem. — Haec ille. — Et similia dicit multis aliis locis (y). Ex quibus apparet quod corpus Christi in triduo non fuit omnino idem quod ante, dum viveret; nec, per consequens, res primo contenta in Eucharistia in nocte cœni, et contenta in Eucharistia in triduo sepulturae, fuit omnino eadem, sed secundum quid, illo triplici modo quem ponit Bernardus de Gaixato, ubi supra. Nam corpus Christi contentum in Eucharistia tempore mortis dicit quoddam compositum ex materia prima et ex aliqua forma substantiali dante esse corporeum, non autem esse vivum, vel animatum; corpus autem Christi viventis dicit compositum ex materia et anima rationali, prout dat esse corporeum de genere substantiae ipsi materiae; constat autem illa duo composita non omnino esse idem, ut saepe dictum fuit.

Verumtamen ad istud argumentum potest dici aliter: scilicet quod in casu argumenti, sub Eucharistia continebatur materia prius informata ab anima; et similiter anima Christi, prout continet virtualiter formam corporeitatis, non quidem ut informans materiam, sed assistens illi. Et hanc solutionem ponit Hervaeus, in tractatu *de Pluritate formarum* (y), respondendo ad centesimum quadragesimum tertium argumentum, quod est tale, in forma: « Ponatur quod aliquis consecrasset in die cœni, et reservasset hostiam usque ad sabbatum sequens. Tunc quero: utrum corpus Christi sit sub illa hostia sacramentaliter, aut non? Non potest dici quod non: quia, manente hostia, videatur manere ibidem corpus Christi sub hostia. Si autem ponatur corpus Christi esse sub hostia,

(x) simpliciter. — Om. Pr.

(y) Cfr. præsertim, 3. *Sentent.*, dist. 22, q. 4, art. 1.

(y) Hic tractatus Hervaeus non est ille qui typis fuit editus Venetiis, ann. 1513, et qui potius est *de unitate formarum*. Nec etiam est alius ejusdem auctoris, et fere ejusdem rationis, de quo existat codex manuscriptus in Bibliotheca Vaticana, n° 802. Opus ex quo Capreolus hoc argumentum depropagavit, usque nunc reperire non potuimus.

(x) dicuntur secundum rationem diffinitivam eamdem, vel non eamdem. — secundum rationem diffinitivam dicuntur eamdem. Pr.

quero : utrum corpus Christi vivum sit sub ea, aut corpus Christi mortuum? Non corpus Christi vivum : quia tunc non erat vivum. Nec corpus Christi mortuum, nisi remanserit aliqua forma corporeitatis, qua fuerat in vivo, in quam facta fuerat illa conversio : quia, si nova forma est introducta in morte, in quam non fuit conversa forma panis, illa forma corporis mortui non esset sub sacramento virtute sacramenti, sed sola materia prima. Ergo oportet ponere in Christo aliquam formam corporeitatis, prius animam, in quam fiat illa conversio praedicta. » Ecce argumentum, quod est virtualiter idem cum arguento Scotti. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod, secundum quosdam, corpus Christi mortuum, esset, stante hypothesi, sub sacramento solum quoad materiam. Alter potest dici : quod corpus mortuum potest dici illud quod per mortem est generatum; et tale corpus mortuum, est cadaver (cadaver enim non corruptitur per mortem, quia quod est corruptum jam non est; sed magis genitum); et tale corpus mortuum, non esset sub sacramento, stante hypothesi, virtute sacramenti, nisi solum quantum ad primam materiam. Alio modo dicitur corpus mortuum, corpus quod fuit vivum, quod per mortem est corruptum; et talè corpus mortuum, idem est realiter quod homo mortuus; et tale corpus mortuum, stante hypothesi, fuisse in sabbato in sacramento, quantum ad suas partes, quae sunt anima rationalis et materia prima, quae in morte cuiuslibet hominis remanent, licet divisim. Et si dicatur contra hoc, quod non remanerent divisim, si conjungerentur in sacramento; — dico quod, licet secundum esse sacramentale quo sunt in sacramento imirentur, non tamen unum unitur alteri ut forma materiae. Prima quidem unio non repugnat morti, sed secunda. Unde, quantum ad divisionem oppositam secundæ unioni, stante hypothesi, adhuc remanerent divisa in morte. » — Hæc ille.

Et hæc sufficiant ad primum Scotti.

**Ad secundum**, negatur minor, scilicet quod anima rationalis, ut dat esse corporeum, non sit ens reale, sed tantum rationis. Nec valet probatio per simile de communi abstracto a singularibus. Cum enim dicitur, *anima rationalis, ut dat esse corporeum, praeter esse rationale*, et hujusmodi, non intendo dicere aliquod commune sic abstractum a singularibus per intellectum, nec aliquod ens fabricatum per intellectum, puta actum intellectus, aut speciem præviam actui, aut conceptum terminantem actum intelligendi, aut respectum rationis, vel aliquod tale; sed dico meram realitatem animæ, prout continet in se virtualiter et realiter, licet non formaliter, formam substantiam de genere substantiae, quæ nata est dare materiæ vel composito esse corporeum, et non esse vivum, vel animatum, aut rationale, eo modo quo forma superior continet

inferiorem ejusdem generis subalterni, respectu subjecti capacis utrarumque. Nec eliam dicimus quod anima, ut dat esse corporeum distinctum ab esse rationali, sit in sacramento hoc modo, quod distinctio illa, quæ est mere et precise rationis; sit primus terminus, vel pars, aut accidentis, aut equiditio primi termini conversionis in actu, licet in potentia fundet talem distinctionem rationum, aut distinctionum, aut respectuum rationis. Et ideo arguens false recitat positionem sancti Thomæ, in hoc quod talis distinctio sit aliquid termini conversionis. Et pro hoc multum bene loquitur Herveus, ubi supra, in solutione centesimi trigesimi noni argumenti, ubi sic dicit : « Sciendum quod quando in aliqua essentia simplici inveniuntur plures perfectiones, quæ, licet in aliis rebus plurifacentur realiter, tamen in illa re simplici sunt unum realiter, et sola ratione differunt, tunc, inquantum inveniuntur in illa principium alicujus actus secundum unam illarum, et non secundum aliam, illa una et eadem realis essentia dicitur secundum alteram illarum perfectionum per se requiri ad illum actum, et secundum alteram non requiri per se, sed concomitative se habere : sicut eadem divina essentia est natura et voluntas, et realiter est natura, et realiter est voluntas, et voluntas et natura in ea non differunt realiter, sed sola ratione; et tamen, in generatione Filii, essentia divina ut natura est per se principium productivum, sed ut voluntas habet se concomitative; non quin essentia, quæ realiter est voluntas, vere et realiter sit illud quod est principium productivum Filii; sed quia, ad hoc quod talis essentia sit principium productivum Filii, non requiritur quod ipsa, secundum quod est hujusmodi principium, sit voluntas ut voluntas. Et sicut, si eadem essentia esset calor, et calor diceretur calefacere secundum quod est calor, sed secundum quod est calor concomitative se haberet; ita etiam, licet illud in quod convertitur forma panis, sit realiter et essentialiter forma corporeitatis, et sit anima, tamen non est terminus in eo quod anima, sed in eo quod forma corporeitatis; quia, dato quod illa essentia non esset anima, et esset forma corporeitatis, adhuc converteretur in eam forma panis, quia verba sacramenti efficiunt quod significant, et significant conversionem fieri in corpus. Sic ergo essentia in quam convertitur forma panis, et est forma corporeitatis, et est anima; sed tamen est ibi concomitative inquantum est anima, quia accidit illi essentie quod sit anima, ad hoc quod fiat in eam conversio formæ panis; sicut etiam, in generatione Filii, dicitur concomitative se habere voluntas. » — Hæc ille. — Item, in responsione centesimi quadragesimi, melius facit ad propositum. Argumentum enim centesimum quadragesimum tale est : « Terminus conversionis est res vera. Intentiones autem secundum quas eadem res potest ratione differre a seipsa ut est

corporea, et ut est animata, non sunt termini conversionis, nisi per accidens. Eorum autem quae sunt termini per accidens ipsius conversionis, qua ratione unum ponitur esse terminus, et aliud. Ergo non potest dici quod forma panis convertatur in animam ut dat esse corporeum, sicut non convertitur in ipsam ut dat esse animatum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod minor supponit falsum, scilicet quod esse corporeum et esse animatum, sive forma corporeitatis et anima, dicant intentiones logicas, sive entia rationis. Hoc enim est falsum; immo forma corporeitatis et anima dicunt res veras. Et ideo, quando ponitur quod forma hominis, secundum quod dat esse corporeum, sit terminus conversionis, non ponitur terminus per accidens, sed ponitur terminus per se. Sed si queratur : quare etiam ipsa anima, cum sit eadem realiter cum forma corporeitatis, non sit terminus hujus conversionis per se, et secundum quod est anima? — dico quod hujus causa est, quia, dato quod illa essentia non esset anima, dum tamen esset forma corporeitatis, adhuc fieret in eam conversio; sed, si esset anima, ita quod non esset forma corporeitatis, non fieret in eam conversio. » Hec ille, et bene, et sufficienter ad secundum Scotti, cum praecedentibus.

**Ad tertium** ejus, dicitur quod corpus in quod fit conversio, est corpus naturale, et physicum, per formam substantialiem, que est anima ut dat esse corporeum. Et ideo neganda est minor, cum dicit quod illa forma non est anima intellectiva.

**Ad quartum** dicendum quod, cum dicitur, *Hic est calix sanguinis*, etc., terminus conversionis nullo modo includit animam, sed aliquam aliam formam substantialiem, dantem esse corporeum et sanguineum: quia, secundum multos, anima nullo modo est forma substantialis sanguinis, licet sit forma substantialis omnium partium corporis, puta carnis, ossis, nervi, et similium; secus est de sanguine, qui non est actu pars animalis, sed tantummodo in potentia. Et licet de hoc diffuse dictum sit, 2. *Sentent.* (dist. 45, q. 4), tamen hic recte dicta sancti Thome in questionibus *de Anima*, q. 9, ubi sic dicit : « Inter omnia esse est istud quod immediatus et intimius convenit rebus, ut dicitur in libro *de Causis* (prop. 4). Unde oportet quod, cum materia habeat esse actu per formam, quod forma dans esse materie, ante omnia intelligatur advenire materie, et immediatus sibi inesse. Est autem hoc proprium forme substantialis, quod de materie esse simpliciter; ipsa enim est per quam res est hoc aliud. Non autem per formas accidentales habet esse simpliciter, sed esse secundum quid: puta esse magnum, vel coloratum, vel aliiquid tale. Si qua ergo forma est, quae non det materie

esse simpliciter, sed adveniat materiae existenti (z) in actu per aliam formam; non erit forma substantialis. Ex quo patet quod inter formam substantialiem et materiam non potest cadere aliqua forma substantialis media, sicut quidam volunt, ponentes quod secundum ordinem generum, quorum unum sub altero ordinatur, est ordo diversarum formarum in materia: ut puta, si (6) dicamus quod materia secundum unam formam habet quod sit substantia in actu, et secundum aliam quod sit corpus, et sic deinceps. Sed, haec positione facta, sola prima forma que faceret esse substantialiam in actu, esset substantialis, alio vero omnes accidentales; quia forma substantialis, est que facit *hoc aliquid*, ut jam dictum est in questionib. *de Anima*, q. 1. Oportet ergo dicere quod eadem forma numero sit, per quam res habet quod sit substantia, et quod sit in ultima specie specialissima, et in omnibus intermediis generibus. Relinquitur ergo dicendum quod, cum formae rerum naturalium sint sicut numeri, in quibus est diversitas speciei, addita vel subtracta unitate, ut dicitur, 8. *Metaphysicae* (t. c. 10), oportet intelligere diversitatem formarum naturalium; secundum quas constituit materia in diversis speciebus, ex hoc quod una addit perfectionem super aliari: ut puta quod una forma constituit in esse corporali tantum hunc enim oportet esse infinitum gradum formarum naturalium, eo quod materia non est in potentia nisi ad formas corporales; quae enim incorporeae sunt, immaterialia sunt; alia autem perfectior forma constituit materiam in esse corporali, et ulterius dat ei esse vitale; et ulterius, alia forma dat ei et esse corporale, et esse vitale, et super hoc addit esse sensitivum; et sic est in aliis. Oportet ergo intelligere quod forma perfectior, secundum quod constituit materiam in perfectione inferioris gradus, simul cum materia compositum intelligatur ut materiale respectu ulterioris perfectionis, et sic ulterius procedendo: utpote (y) materia prima, secundum quod jam constituta est in esse corporeo, est in potentia respectu ulterioris perfectionis, quae est vita. Et (z) exinde est quod corpus est genus corporis viventis, et animalium, sive vivens, est differentia; nam genus sumitur a materia, et differentia a forma. Et sic quodammodo una et eadem forma, scilicet quae constituit materiam in actu inferioris gradus, est media inter materiam et seipsam secundum quod constituit eam in actu superioris gradus. Materia autem, prout intelligitur constituta in esse substantiali secundum perfectionem inferioris gradus, per consequens intelligi potest ut accidentibus subjecta;

(x) *existenti*. — *ex consequenti* Pr.

(6) *si*. — Om. Pr.

(y) *in*. — Ad Pr.

(z) *Et*. — Om. Pr.

nam substantia, secundum inferiorem illum gradum perfectionis, necesse est quod habeat aliqua accidentia propria, quae necesse est ei inesse; sicut ex materia constituta in esse corporeo per formas, statim consequitur ut sint in ea dimensiones, per quas intelligitur materia divisibilis per diversas partes, ut sic secundum diversas partes sui possit esse susceptiva diversarum formarum. Et ulterius, ex quo materia jam intelligitur constituta in esse quodam substanciali, intelligi potest susceptiva accidentum quibus disponitur ad ulteriorem perfectio- nem suscipiendam. Hujusmodi autem dispositiones praetelliguntur forme ut inductae ab agente in materiam, licet sint accidentia ita propria forme, quod nonnisi ex ipsa forma causantur in materia; unde non praetelliguntur in materia forme quasi dispositiones, sed magis forma praetelligitur eis, sicut causa effectui. Sic ergo, cum anima sit forma substancialis, quia constituit hominem in determinata specie substanciali, non est aliqua alia forma substancialis media inter animam et materiam primam; sed homo ab anima ipsa perficitur secundum diversos gradus perfectionum, ut sit scilicet corpus, et corpus animatum, et animal, et rationale. Sed oportet quod materia, secundum quod intelligitur ut recipiens ab anima rationali perfectiones inferioris gradus, puta quod sit corpus, et animatum corpus, et animal, intelligatur simul ( $\alpha$ ) cum dispositionibus convenientibus, quod sit materia propria ad animam rationalem, secundum quod dat ultimam perfectionem. Sic ergo anima, secundum quod est forma dans esse, non habet aliquid aliud medium inter se et materiam primam. Sed quia eadem forma dans esse materia, est etiam operationis principium, eo quod unumquodque agit secundum quod est in actu, necesse est quod anima, sicut et quelibet alia forma, sit operationis principium. Sed considerandum est quod secundum gradum formarum in perfectione essendi est etiam gradus earum in virtute operandi, cum operatio sit existentis in actu. Et ideo quanto aliqua forma est majoris perfectionis in dando esse, tanto est minoris virtutis in operando. Unde formae perfectiores habent plures operationes, et magis diversas, quam formae minus perfectae. Et inde est quod ad diversitatem operationum in rebus minus perfectis sufficit diversitas accidentium. In rebus autem magis perfectis requiritur ulterius diversitas partium; et tanto major, quanto forma fuerit perfectior. Videmus enim quod igni convenienter diversae operationes secundum diversa accidentia, ut ferri sursum secundum levitatem, calefacere autem secundum calorem, et sic de aliis; sed tamen quelibet harum operationum competit igni secundum qualibet ejus partem. Corporibus vero animatis que habent nobiliores formas, diversis

operationibus deputantur diverse partes; sicut in plantis alia est operatio radicis, et stipitis, et ramorum. Et quanto corpora animata fuerint perfectiora, tanto propter majorem perfectionem necesse est inveniri majorem diversitatem in partibus. Unde, cum anima rationalis sit perfectissima formarum materialium, in homine invenitur maxima distinctio partium propter diversas operationes. Et anima singulis earum dat esse substanciali, secundum illum modum quo competit operationi illarum. Cujus signum est, quod, remota ( $\alpha$ ) anima, non remanet neque caro, neque oculus, nisi aequivoce. Sed cum oporteat ordinem instrumentorum esse secundum ordinem operationum, diversarum autem operationum que sunt ab anima, una naturaliter procedit aliam, necesse est quod una pars corporis moveatur per aliam ad suam operationem. Sic ergo inter animam secundum quod est motor et principium operationum, et totum corpus, cadit medium aliquid; quia mediante aliqua prima parte movet alias partes ad suas operationes, sicut mediante corde movet alia membra ad vitales operationes. Sed secundum quod dat esse corpori, immediate dat esse substanciali et specificum omnibus partibus corporis. Et hoc est quod a multis dicitur, quod anima unitur corpori ut forma sine medio, ut autem motor unitur ei per medium. Et haec opinio procedit secundum sententiam Aristotelis, qui ponit animam esse formam substancialem corporis. Sed quidam ponentes, secundum intentionem Platonis, animam uniri corpori sicut unam substanciali alteri, necesse habuerunt ponere media quibus anima uniretur corpori; quia diverse substanciali et distantes non colligantur, nisi sit aliquid quod unitas eas; sicut posuerunt quidam spiritum et humorem esse medium inter animam et corpus, et quidam lucem, et quidam potentias animae, vel aliquid aliud hujusmodi. Sed nullum istorum est necessarium, si anima est forma corporis: quia unumquodque secundum quod est ens, est unum; unde, cum forma secundum seipsam det esse materie, secundum seipsam unitur materia, et non per aliquod ligamentum. » — Haec sanctus Thomas. — Ex quibus apparet: primo, quod per eamdem formam substanciali homo est substanciali et corporis et animatus et animal et rationale, et non per diversas formas; secundo, quod per eamdem formam, non per diversas, caro hominis est caro, et os est os, et sic de ceteris, que sunt partes hominis in actu, et non solum in potentia proxima vel remota; quod addo propter quatuor humores complexionales, qui non sunt partes animalis in actu, sed in potentia proxima, puta per conversionem digestivam. Unde non est necesse dicere quod anima sit forma substancialis sanguinis, aut phlegmatis, aut cholerie,

( $\alpha$ ) intelligatur simul. — intelligitur solum Pr.

( $\alpha$ ) remota. — remanente Pr.

aut melancholiae, sicut dicitur quod (z) est forma corporis et eujuslibet partis animalis in actu, puta carnis, ossis, et nervi, capitis, pedis, et hujusmodi.

Quod autem predicti humores non sint partes animalis in actu, sed in potentia, ostendit sanctus Thomas, 4 p., q. 419, art. 2. Et specialiter, 3 p., q. 31, art. 5 (6), in solutione primi, sic dicit: « Cum Beata Virgo fuerit ejusdem nature cum aliis feminis, consequens est quod habuit carnem et ossa ejusdem naturae. Carnes autem et ossa sunt actuales partes corporis, ex quibus constituitur integritas corporis; et ideo subtrahi non possunt sine corruptione corporis, vel diminutione. Christus autem, qui venerat corrupta reparare, nullam corruptionem aut diminutionem integratam Matris inferre debuit. Et ideo non debuit corpus Christi formari de carne vel ossibus Virginis, sed de sanguine, qui nondum est actu pars, sed est potentia totum, ut dicitur in libro *de Generatione animalium* (lib. 1, cap. 18 et 19). Et ideo dicitur carnem de Virgine sumpsisse, non quod materia corporis fuerit actu caro, sed sanguis, qui est potentia caro. » — Haec ille. — Et hoc modo intelligi debet illud quod ipse dicit, 3 p., q. 76, art. 2, arg. 2, quod sanguis est una partium corporis humani; et similiter illud quod dicit, 4. *Sentent.*, dist. 44, q. 4, art. 2, in solutione tertiae quaestione. Ibi enim sic dicit (ad 3<sup>am</sup>): « Sicut elementa sunt in via generationis respectu corporum mixtorum, quia sunt sicut communis materia, non autem ita quod semper sint in transmutando in corpora mixta: ita etiam humores so- habent ad membra. Et, propter hoc, sicut elementa () in partibus universi habent formas determinatas, ratione quarum sunt de perfectione universi, sicut et corpora mixta; ita etiam humores sunt de perfectione corporis humani, sicut et aliae partes, quamvis non perveniant ad tantum perfectionem sicut aliae partes; nec elementa habent ita perfectas formas sicut mixta. Sicut autem omnes partes universi a Deo perfectionem consequuntur non aequaliter, sed unumquodque secundum modum suum; ita etiam humores aliquo modo perficiuntur ab anima rationali, non tamen eodem modo sicut partes perfectiores. » — Haec ille. — Ex quibus videretur quod sanguis et alii humores perficiantur ab anima rationali, sicut caro et os, que sunt partes animalis in actu; nec habeant aliam formam substantialiem prius animam. Sed dicendum quod hoc non habetur ex dictis sancti Thome, sed solum quod, sicut Deus perficit effectiva, licet non formaliter elementa, sic anima perficit effectiva quatuor

humores, non autem formaliter. Immò ibidem expresse ponit humores habere proprias formas. Dicit enim sic (in principali responsione): « Est autem in homine triplex humiditas. Quedam enim humiditas est in recedendo a perfectione hujus individui; vel quia illud est in via corruptionis, et a natura abjectum, sicut urina, sudor, sanies, et hujusmodi; vel quia a natura ordinatur ad conservationem speciei in alio individuo, sive per actum generativa, sicut semen, sive per actum nutritive, sicut lac. Et nulla talium humiditatium resurget, eo quod non est de perfectione individui resurgentis. Secunda humiditas est, que nondum pervenit ad ultimam perfectionem quam natura operatur in individuo; sed est ad illam ordinata a natura. Et haec est duplice. Quia quedam est, que habet aliquam formam determinatam, secundum quam continetur inter partes corporis; sicut sanguis, et alii tres humores, quos natura ordinat ad membra quae ex eis generantur, sed tamen habent (z) alias formas determinatas, sicut et aliae partes corporis; et ideo resurgent cum aliis partibus. Quedam vero humiditas est in via transeundi de forma in formam, scilicet de forma humoris in formam membra. Et talis humiditas non resurget: quia, post resurrectionem corporis, singule partes corporis in suis formis stabilentur, ut alia in aliis non transcat; et ideo non resurget illa humiditas que est in ipso actu transeundi de forma in formam. Haec autem humiditas potest in duplo statu accipi, etc. » — Haec ille. — Ex quibus apparet quod, secundum eum, habent formas determinatas, ex quibus potest esse transitus ad formam membra per viam generationis. Cum autem forma membrorum sit anima rationalis in homine, secundum eum, manifeste patet quod intentio ejus est quod sanguis non est pars hominis in actu, sed in potentia, nec habet formam hominis in actu, sed in potentia proxima. — Ex quibus ulterius sequitur quod similitudo de corpore Christi et sanguine non valet: quia, dato quod, virtute consecrationis sanguinis, prius terminus coissecrationis includeret aliquam formam substantialiorem, quae non est anima rationalis; secus est de consecratione corporis Christi, ut patet per predicta. Si vero aliquis contendat quod immo forma substantialis sanguinis Christi est anima rationalis, — dicendum est, ut prius, de forma corporis ut est corpus. Sed tamen ex dictis Sancti Thome non cogimur dicere aut concedere dictam similitudinem, aut identitatem formae corporis Christi et formae sanguinis, nec, per consequens, eundem terminum partialiorem dictarum conversionum, quod scilicet anima rationalis sit partialis terminus utriusque.

Et haec sufficiunt ad quartum.

(x) *habent.* — *habet* Pr.

(x) *quod.* — *et* Pr.

(y) *Et specialiter*, 3 p., q. 31, art. 5. — *qui est finis Summae, specialiter* Pr.

(z) *elementa.* — *Omn.* Pr.

**Ad quintum** patet per praedicta. Non enim dicimus quod primus terminus conversionis panis sit materia sola, aut materia sub esse accidentalis, sed potius quoddam compositum ex materia et forma substantiali, puta anima rationali in conversione panis, et ex materia et forma sanguinis in conversione vini. Et sic argumentum non valet.

**Ad sextum** dicitur quod ista via sufficienter salvat ea que sunt fidei, et ea que possunt concludi ex dictis sanctorum bene intellectis, scilicet quomodo in triduo fuit idem corpus Christi sepulti et Christi (2) vivi, ut patuit in responsione ad primum. Et ideo antecedens argumenti est negandum. Opposita vero via non potest evadere multa contraria fidei: ut puta quod anima rationalis nunquam fuit forma substantialis corporis Christi, et quod corpus Christi per separationem animae non fuit veraciter mortuum aut corruptum, et multa alia que patent ex praedictis.

**II. Ad argumenta Aureoli.** — **Ad primum.** Aureoli contra eamdem conclusionem, dicitur quod argumentum fundatur in falsa consequentia, puta haec: conversio terminatur ad esse corporeum et ad esse intellectivum; igitur, si per se ad primum, per se ad secundum, et si directe ad primum, directe ad secundum. Et nullitas hujus argumenti satis patere potest ex dictis Hervaei in solutione ad secundum Scotti. Cum enim aliqua sunt eadem per accidens, et non per se, non oportet quod actio que per se terminatur ad primum, per se terminetur ad secundum, sicut ibidem diffuse dictum fuit.

**Ad secundum** patet responsio ex dictis ad primum Scotti (6). Quia, sicut habetur ex ibidem dictis, caro Christi mortua et caro Christi viva non sunt eadem caro specificie, nec univoce, propter causas ibidem dictas. Nec valet hujus improbatio sumpta ex uniformitate sacramenti nunc et tunc: quia, sicut res sacramenti difformiter se habebat nunc et tunc extra sacramentum, non est inconveniens si difformiter se habuit sub sacramento nunc et tunc. Quoad secundum inconveniens ibidem illum, dicitur quod caro Christi que hodie continetur in Eucharistia, est eadem illi a qua fluxit sanguis, et que jacuit in sepulchro, triplici modo identitatis superius sape dicto; non autem fuit simpli citer eadem, alias non fuisset vere mortua, nec veraciter fuisset per eam redempti, secundum quod dedit Damascenus (*de Fid. Orth.*, lib. 3, cap. 28). Quoad tertium inconveniens ibidem illum de sanguine Christi, patet quid dicendum, per praedicta: quia, secundum unum modum, potest dici quod est omnino idem sanguis modo sub Eucharistia, qui tunc effundebatur de Christi latere;

(2) *Christi, — corporis Pr.*

(6) *Scotti, — Om. Pr.*

secundum vero aliud modum, potest dici quod est idem non omnino, sed secundum quid, scilicet triplici identitate.

**Ad tertium** dicitur quod penitus nihil valet, sicut nec precedentia. Unde ad istud argumentum, et consimilia, que deducunt ad aliqua inconvenientia secundum iudicium vulgi, et non simpli citer inconvenientia, dicit Hervaeus, ubi supra (2), in solutione centesimi vigesimi secundi argumenti: « Christus habuit corpus a Matre sua sicut a preparante materiam transuitem, sicut si aliquis diceretur habere panem a dante farinam: non autem habuit corpus ab ea sicut a dante formam substantialiem corporeitatis manentem in eo, etc. » — Haec ille. — Et sicut ille dicit de corpore, ita dicendum est de carne. Unde Bernardus de Ganato, ubi supra: (6) « Quod dicit Henricus, quod non fieret conversio in corpus generatum de Virgine, — dicendum quod illo modo quo corpus Christi in celo est de Virgine, quod in illud idem fit conversio. Licet enim non sit ibi aliqua forma substantialis quam Christus traxerit de Virgine, est tamen materia eadem, et corpus, quantum ad idem suppositum et idem esse quod habuit Christus in utero Virginis; et illud idem suppositum quod naturam humanam assumpsit in Virgine, illud idem est in celo; et in illud corpus fit conversio. Unde, sicut nulla mater in brutis ministrat aliquam formam substantialiem (quia forma foetus in brutis educitur per virtutem maris, non feminæ), sic Beata Virgo nullam formam dedit Christo, sed materiam tantum, cum dispositionibus convenientibus ad animam. » — Haec ille. — Ad illud etiam patet solutio ex dictis sancti Thomæ superius recitatis (7), de 3 p., q. 31, art 5, in solutione primi, in fine, ubi expositiu est quomodo debet intelligi Christum sumpsisse de Virgine carnem.

**III. Ad argumenta Henrici.** — **Ad primum.** Henrici respondet Bernardus, ubi supra, dicens: « Tota substantia panis convertitur in corpus Christi et animam secundum quod dat esse corporeum. Non enim anima Christi separata est a corpore; in illud ergo corpus secundum quod habet ab anima rationali ut corpus sit, fit conversio, et materie in materiam, et forme in formam, id est, in animam secundum quod habet virtutem corporeitatis: ita quod conversio ex vi sacramenti non attingit ad rem que est anima, sed ad corpus, quod est compositum ex materia et forma corporeitatis, que virtute includitur in anima; ita quod usque ad animam secundum quod habet talen virtutem, attingit vis sacramenti. Sed ipsa anima secundum quod rationalis

(2) Cfr. ad 1<sup>um</sup> et ad 2<sup>um</sup> Scotti.

(6) Cfr. ad 1<sup>um</sup> Scotti.

(7) Cfr. ad 4<sup>um</sup> Scotti.

est, non est ibi ex vi sacramenti, sed ex naturali concomitantia. Unde non sit conversio in solam materiam, sed in corpus Christi reale et verum, quale est illud quod habet Christus. — Quod autem dicit, quod non fieret conversio in corpus generatum de Virgine, — dicendum quod illo modo quo corpus Christi in celo est de Virgine, etc., ut statim recitatum est ad ultimum Aureoli.

**Ad secundum** respondet idem, quod, « secundum predicta, verum fuit dicere quod corpus Christi jacuit in sepulchro; non propter aliquam formam substantiam quam habebat, et que prius fuerit in Christo vivo; sed quia habebat illam triplicem identitatem, de qua dictum fuit prius. Unde, si in triduo fuisset consecratum, fuisset corpus mortuum consecratum; quia tale erat secundum veritatem. Et si hostia consecrata fuisset servata, dicendum esset quod, vivente corpore Christi, erat in hostia corpus vivum, et, eo mortuo, erat mortuum in hostia; quia tale est in hostia secundum veritatem, quale est in seipso. Per predicta patet ad multa alia que dicit. Finaliter autem redit ad propositum nostrum: quia dicit quod, si in corpus bruti, virtute divina, fieret conversio, anima bruti esset ibi secundum illud quod est, de vi sacramenti, sed non in quantum vegetabilis aut sensibilis; quare ergo in Christo anima rationalis secundum illud quod dat esse corpori, non est ibi ex vi sacramenti, et in quantum rationalis solum per concomitantiam, non videtur ratio esse. Unde in tenendo positionem istam melius salvantur omnia quam in tenendo suam. » — Haec Bernardus contra Henricum, et bene. — Ex quibus patet ad tertium ejusdem Henrici.

## § 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

**I. Ad argumenta Durandi.** — **Ad primum** Durandi contra secundam conclusionem, respondet Petrus de Palude (dist. 40, q. 2), dicens quod « non est simile de contiguis, quorum non ipsa, sed illorum ultima, sunt simul, nec unum locatur per aliud (unde ignis et aer non separantur secundum contactum; tamen ignis est in celo sicut in loco immediato, aer autem non, sed in ipso igne) (2), et de illis quorum unum cum alio facit unam naturam, ita quod illud quod convenit uni per se, convenit alteri per accidens. Et est consequentia talis: Quantitas Christi non separatur ab essentia et natura corporis Christi, sicut nec albedo a quantitate; ergo, cum corpus Christi sit in sacramento per se, ibi est et quantitas per accidens; sicut ubi est quantitas per se, ibi erit ejus color per accidens. Nec est simile de locato et locante, quae differunt per

essentiam et naturam et subiecto et supposito, et unum est extra aliud et separatum, ut dicitur.

**4. Physicorum** (t. c. 43). » — Haec Petrus, in forma, et bene. Clarum est enim quod similitudo non valet de inseparabili per inherenteriam, quod est quasi propria passio substantiae corporeae, ut corpus est, modo prius exposito per dictum sancti Thomae.

**Ad secundum** respondet idem Petrus (ibid.), quod « consequentia est nulla: quia, licet cessante causa cesseret effectus in quantum hujusmodi, tamen, quia aliquid est causa unius per se, et alterius per accidens (inimo etiam calidum, quod est causa calcinandi per se, est causa oppositi, scilicet frigescendi, per accidens), ideo non sequitur. Cessat a causalitate per se, ergo cessat a causando. Constat enim quod substantia non est in loco causaliter ut substantia est, sed ut quanta est, ita quod quantitas est causa essendi in loco. Non tamen propter hoc sequitur quod sola quantitas substantiae sit in loco, immo et substantia ipsa quidem quantitas est in loco per se, substantia vero per accidens. Et similiter, quia substantia est in sacramento ut substantia est, non ut quanta est, propter hoc sequitur quod quantitas non est hic per se et directe, ex vi sacramenti, sed solum substantia. Non tamen sequitur quin quantitas sit hic cum substantia, ex naturali concomitantia; immo sequitur quod sic, ex quo est idem subiecto. » — Haec Petrus, et bene; hoc addito, quod quantitas est accidens absolutum, et propria passio corporis in quantum hujusmodi; quia, loquendo de accidentibus respectivis, non oportet quod omne accidens inherens corpori Christi in celo, inhereat ei ut est in sacramento, sicut patet de respectu qui est de genere *ubi* vel *situs*. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 76, art. 5, arguit sic, tertio loco: « In sacramento est corpus Christi cum sua quantitate dimensiva, et cum omnibus suis accidentibus. Sed esse in loco, est accidens corporis; unde et *ubi* numeratur inter novem genera accidentium. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Accidentia, inquit, corporis Christi sunt in hoc sacramento, secundum realem concomitantiam. Et ideo illa accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento, que sunt ei intrinseca. Esse autem in loco, est accidens per comparationem ad extrinsecum continens. Et ideo non oportet quod Christus sit in hoc sacramento sicut in loco. » — Haec ille,

**Ad tertium** respondet Petrus (ibid.), quod « Deus non potest facere quin quantitas corporis Christi alteri comparata, non sit major, aut minor, aut aequalis. Unde quantitas corporis Christi est multo major quam quantitas hostie. Sed quia quantitas corporis Christi non est in hostia per se, sed per hoc quod ipsa est in substantia corporis Christi, ideo, cum substantia corporis Christi sit in altari solum infra circumferentiam hostie, sicut et substantia

(2) a verbo *immediato* usque ad *igne*, om. Pr.

conversa erat, ideo solum ibi, et non extra, est quantitas corporis Christi sacramentaliter. Et sicut anima conjuncta, est in loco per accidens, ratione quantitatis sui corporis, nec tamen propter hoc ei commensuratur, quia ei repugnat; sic quantitas est in hostia per necessariam concomitantiam, non tamen commensuratur quantitatibus hostie, quia repugnat quantitatibus secundum esse non quantitativum commensurari quantitatibus prout habet modum quantitatis. Vel sicut anima, cui repugnat per se circumsciri, est tamen circumscriptive in loco per quantitatem, non quod ipsa immediate circumseribatur, sed quia sua quantitas circumserbitur, et anima mediante quantitate est in loco circumscribente; sic e converso, quantitas, cui repugnat esse indivisible, est tamen modo indivisibili in sacramento per substantiam indivisibilem, non quod ipsa in se habeat modum indivisibilem, sed quia substantia in qua est, ut si habet modum indivisibilem: quia sicut punctus tangit lineam modo indivisibili, scilicet per suum modum, non illius; sic substantia, que (2) sine quantitate convertitur, et per consequens ut indivisibilis, comparatur ad suum terminum indivisibiliter, licet ille sit divisibilis quantitatibus conjunctus. Et sicut anima erat in loco per divisibile, modo divisibili, quia mediante sua quantitate occupabat locum divisibilem, et divisibiliter; sic e converso, quantitas Christi, per ejus substantiam succedentem modo indivisibili substantiae conversa infra species, erit ibi modo indivisibili, quia per suam substantiam erit ibi presens mediate indivisibiliter: non enim plus repugnat divisibili esse in loco indivisibiliter, quam e converso indivisibili esse in loco divisibiliter. Nec obstat si dicatur quod potentia visiva inhaeret animae, nec propter hoc est in pede, ubi tamen est anima: quia anima excedit potentiam visivam, nec per eam tota terminatur; sed corpus Christi, quod ratione corporeitatis est in sacramento, non excedit suam quantitatem, ut possit esse alicubi sine illa, que est suus terminus et totalis. » — Haec Petrus, et bene. Licet non oporteat concedere omnia que ponit, in hoc tamen verum dicit, si tamen intendat ita dicere quod, sicut approximato agente ad passum, divina virtute potest impediri mutua actio et passio que includunt respectum, puta suspendendo actionem activi, vel nolendo ei coagere, vel subtrahendo agenti corporali modum quantitativum, sicut colori Christi in sacramento, et multis aliis modis Deo possibilibus; ita similiter possibile est quantitatem existentem in sacramento modo non quantitativo, similiter se habere ad totum et ad partes loci et dimensionis, quoad hoc quod sicut non commensuratur nec dividitur parti quantitatis extrinsecus, ita nec toti quantitati.

(a) *que.* — Om. Pr.

Ad quartum dicit Petrus (*ibid.*), quod & verum est Deum non posse facere aliquid de aliquo illi incompossibile, quia contradicatio esset. Item, bene est incompossibile, illud quod est divisibile, in quantum hujusmodi, esse indivisible, et e converso. Sed illud quod intrinseco est divisibile, comparari (2) ad aliud extra modo indivisibili, videtur possibile, etiam per naturam, secundum quod dicunt perspectivi, speciem visibilem, que divisibilis est ut ad oculum appareat, modo indivisibili comparari ad speculum: tum quia, ut dicunt, recipitur in puncto; tum quia ad divisionem speculi multiplicatur in tanta quantitate sicut prius, sicut punctus ad divisionem lineæ. Multo magis hoc est possibile divina virtute. Item: sicut quando sphaericum tangit planum in puncto, vel unum sphaericum aliud sphaericum in convexo, utrumque est divisibile, et tamen ad invicem comparantur vel commensurantur modo indivisibili, quia illud secundum quod se tangunt, est indivisible; ita quantitas hostie et quantitas corporis Christi, licet sint duo in se divisibilia, quia tamen ad invicem comparantur mediantibus duobus indivisibilibus, scilicet substantia panis et vini que conversa est, et substantia corporis Christi et sanguinis in quam (6) conversa est, que primae successit, quorum comparatio ad invicem habuit modum indivisibilem, ideo et ista mediata modo indivisibili ad invicem comparantur ». — Haec Petrus, et bene. Nulla enim contradicatio est, duo divisibilia comparari ad invicem per accidens, et mediate, et indirecte, modo indivisibili. Sie autem est in proposito.

Ad quintum patet responsio per predicta. Assumit enim falsum: scilicet quod sicut de ratione quantitatis dimensive est habere partibilitatem et divisibilitatem et positionem vel situm partium in se, et oppositum repugnat ei; sic de ratione ejus sit habere partibilitatem et situm in ordine ad quantitatem extrinsecam, sive comparetur ei per se et immediate et directe, sive per accidens et indirecte et mediante alio. Ut enim dictum est, hoc non oportet, potissimum ubi per divinum miraculum assumit modum essendi non quantitativum, scilicet habendo modum substantiae in ordine ad aliquid extrinsecum.

Ad sextum dicitur primo, quod anima rationalis, que de se est indivisibilis, non potest comparari ad corpus proprium, nec ad locum corporis sui, divisibiliter, sic quod ipsa secundum ejus essentiam dividatur alicui quanto, sed sic quod dat esse corporeum et quantum et circumscriptibile, et est forma corporeitatis, et pars essentialis naturae corporeæ, constitutiva substantiae partibilis in partes homogeneas et heterogeneas; et ulterius, ratione

(a) *comparari.* — *comparatur* Pr.

(6) *in quam.* — *inquantum* Pr.

corporis quanti, habet multiplicem divisibilitatem potentiarum organicarum. Et ita aliquam partibilitatem sortitur ratione corporis quod informat; et aliquo modo divisibiliter comparatur ad locum sui corporis, quia in alia parte loci habet potentiam visivam, et in alia auditivam, et sic de ceteris sensibus tam exterioribus quam interioribus; et ita divisibiliter se habet ad totum locum et ad partes loci, quia omnes potentiae sunt in toto loco, sed non omnes sunt in qualibet parte loci. Item, plures effectus transentes et immanentes exerceat in toto loco quam in aliqua parte loci. Et sic similitudo Petri de Palude superius posita (2), de anima rationali et de quantitate potest sustineri. De hoc sanctus Thomas, in Questionibus *de Anima*, q. 10, sic dicit: « In anima hominis, et ejuslibet animalis perfecti, non potest accipi totalitas nisi secundum perfectionem speciei, et secundum potentiam seu virtutem. Dicimus ergo quod cum perfectio speciei pertinet ad animam secundum suam essentiam, anima autem secundum suam essentiam est forma corporis, et prout est forma corporis est in qualibet parte corporis, ut ostensum est, relinquitur quod anima tota sit in qualibet parte corporis secundum totalitatem perfectionis speciei. Si autem accipiatur totalitas quantum ad virtutem et potestatem, sic non est tota in qualibet parte corporis, nec etiam tota in toto, si loquamus de anima hominis. Ostensum enim est ex superioribus questionibus *de Anima*, q. 1, 2 et 5), quod anima humana, quia excedit corporis capacitatem, remaneat ei virtus ad operandum quasdam operationes sine communicatione corporis, sicut sunt intelligere et velle; unde intellectus et voluntas non sunt actus aliquius organi corporalis. Sed quantum ad alias operationes, quas exerceat per organa corporalia, tota virtus et potestas ejus est in toto corpore; non autem in qualibet parte corporis; quia diverse partes corporis sunt proportionatae ad diversas operationes anime; unde (6) secundum illam potentiam tantum est in aliqua parte que respicit operationem que per illam partem corporis exercetur. » — Hec ille. — Similia dicit, I p., q. 76, art. 8.

Dicitur secundo, quod, dato quod exemplum de anima rationali datum a Petro non sufficeret ad propositum, tamen in aliis animabus et formis substantialibus tenet, quoad hoc quod sicut forma lapidis, aut vegetabilis, aut bruti, licet sit secundum se indivisibilis, tamen mediante corpore quod informat sortitur divisibilitatem partium quantitativarum per accidens; sic e converso, quantitas, que de natura sua habet divisibilitatem et distinctionem partium, mediante substantia quam informat potest sortiri quendam modum indivisibiliter

se habendi, non in se, sed respectu extrinseci, puta exterioris loci aut dimensionis, et hoc indirecte, et mediate, et per accidens, et virtute supernaturali.

Dicitur tertio, quod, cum naturaliter prius possit trahi ad participandum aliquid de modo posteriori, ut patet de anima conjuncta corpori, nil mirum si posterius, virtute divina, possit trahi ad participandum aliquid de modo priori, puta quantitas de modo substantiale.

Ad septimum dicitur primo, quod substantia non potest alieni esse nisi substantialiter, si per *ly substantialiter* intelligatur aliquis modus conveniens substantiae in primo vel secundo modo dicendi vel essendi per se, potissimum sola virtute, creatu. Posset tamen substantia esse alieni, vel in aliquo, non substantialiter, virtute divina, si per *ly non substantialiter* intelligatur modus qui, licet non sit repugnans substantiae in primo vel secundo modo persitatis, nec divina virtuti, tamen non habet in substantia creatu potentiam naturalem activam, nec passivam, licet habeat obedientiam potentiam; sicut patet de natura humana in supposito divinae personae, ubi habet aliquem modum accidentis, dum imitatur alterius naturae supposito, et trahitur ad participationem existentiae actualis personae Filii et divini esset qui modus est aliquo modo non substantialis, non solum extrinsecus, immo intrinsecus.

Dicitur secundo, quod quantitas dimensiva non potest esse alieni modo non quantitativo, si per *non quantitatively* intelligatur modus repugnans quantitatim in primo vel secundo modo persitatis, et contra omnem potentiam passivam quantitatis, naturalem et obedientiam. Potest autem divina virtute esse in aliquo, vel alieni, non quantitative, hoc est, modo cui non correspondet aliqua potentia passiva quantitatis naturalis, sed tantum obedientialis, et per quem non derogatur naturae quantitatis in se, sed tantum in comparatione ad aliquid extrinsecum, quod quidem non necessario nec per se primo vel secundo modo consequitur quantitatem, sicut est respectus de genere *nbi* vel *situs*; ut patet in ultima sphaera, que nullum respectum habet ad continens extrinsecum. Sic autem est in proposito.

Et huc sufficiunt argumentis Durandi.

**II. Ad argumenta Scoti.** — Ad primum Scoti contra eandem conclusionem, dicitur primo, quod quantitas corporis Christi, per hoc quod concomitant in sacramento primum terminum transubstantiationis, non caret ibi aliqua proprietate sibi naturaliter et necessario conveniente ut quantitas est. Licet enim non habeat modum essendi quantitatively in ordine ad extrinsecum a se separatum, habet tamen modum essendi quantitatively quoad se et proprium subjectum; et sic non perdit aliquid necessario et naturaliter consequens; quia condicione

(2) Cfr. ad 3am.

(6) *unde*. — *tamen Pr.*

vidi et commensurari loco vel exteriori dimensioni, non necessario nec naturaliter convenit quantitatibus dimensionibus; sicut patet de quantitate ultime sphære, que nulli loco vel continenti commensuratur. Nec valet si dicatur quod hoc ideo est, quia non continetur aliqua dimensione exteriori, cum nullam habeat extra se. Quia etiam non oportet quantitatem dimensionem exsistenter infra locum, vel aliam dimensionem exteriorem separatam, illi semper commensurari aut condividi, nisi habeat per se habitudinem aut ordinem ad exteriorem dimensionem. Non sic autem est hic. Et ideo non oportet quod quantitas corporis Christi sit modo quantitativo sub dimensionibus panis, nec infra locum illarum dimensionum.

De predictis beatus Thomas, praesenti distinctione, q. 1, art. 2, in solutione tertiae et quartae quaestioenue, plura dicit. Unde, in solutione tertiae quaestioenue, sic dicit: « Substantia panis, quæ convertitur in corpus Christi, non habet aliquam proportionem similitudinis ad quantitatem vel alia accidentia Christi, sed tantummodo ad substantiam corporis ejus. Et ideo, cum nihil convertatur in corpus Christi de pane nisi substantia panis, quia accidentia manent, constat quod conversio illa directe terminatur ad substantiam, non autem ad accidentia, quia accidentia panis remanent (2). Et ideo quantitas et alia accidentia corporis Christi non sunt ibi ex vi sacramenti. Sunt tamen ibi secundum rei veritatem, ex naturali concomitantia accidentis ad subjectum. » — Hac ille. — Item, q<sup>a</sup> 4, arguit sic, tertio loco: « Quandounque sub aliqua quantitate extrinseca continetur aliquod corpus habens partes distinctas secundum suam intrinsecam quantitatem totam, contingit assignare sub qua parte illius quantitatis singula partes contineantur. Sed corpus Christi, cum sit organicum, habet partes distinctas. Si ergo secundum totam suam quantitatem continetur sub dimensionibus panis, erit assignare ubi sit caput ejus, et manus, et pes; quod est impossibile. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod quod situs quantitatem presupponit; et quia quantitas Christi nullam habet habitudinem ad dimensiones panis, ideo etiam nec situs partium corporis Christi. Et ideo, quamvis corpus Christi, prout est sub sacramento, habeat partes distinctas, et situatas situ naturali, non est tamen assignare in partibus dimensionis panis ubi singulae partes corporis Christi jaceant. Nec tamen sequitur quod dicatur corpus Christi confusum; quia ordinem habent partes in se; sed (6) secundum ordinem illum non comparantur ad dimensiones exteriores. » — Hac ille. — Item, 3 p., q. 76, art. 3, arguit sic (tertio loco): « Corpus Christi

semper refinet veram corporis natūram, nec unquam mutatur in spiritum. Sed de ratione corporis est ut sit quantitas positionem habens, ut patet in *Prædicamentis* (2) (cap. de Quanto). Sed ad rationem huius quantitatis pertinet quod diversæ partes in diversis partibus loci existant. Ergo, etc. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod ratio illa procedit de natura corporis, quam habet secundum quantitatem dimensionem. Dictum est autem (in corp. art.) quod corpus Christi non comparatur ad hoc sacramentum ratione quantitatis dimensionis, sed ratione substantie. » — Hac ille. — Item, in solutione secundi, sic dicit: « Determinata distantia partium in corpore organico fundatur supra quantitatem dimensionem ipsius; ipsa autem natura substantie precedit quantitatem dimensionem. Et quia conversio substantie panis directe terminatur ad substantiam corporis Christi, secundum ejus modum proprie et directe est in hoc sacramento corpus Christi, talis distantia partium est in corpore Christi vero; sed non secundum hanc distantiam comparatur ad hoc sacramentum, sed secundum modum substantie. » — Hac ille. — Ex quibus apparet: Primo, quod quantitas corporis Christi nullo modo est terminus transsubstantiationis sacramentalis, primus aut secundus, nec mediatus aut immediatus; ejus oppositum supponit argumentum. Secundo, quod quantitas illa nullo modo est in sacramento virtute conversionis substantialis aut accidentalis. Tertio, quod illa quantitas nullum de per se habet ordinem nec aliquam comparationem ad dimensiones panis, quæ sit respectus de genere *ubi*, aut *situs*, aut *contactus*, aut sit positio aut alia consimilis habitudo que sit de per se et proprie quantitatis ad quantitatem, plus quam substantia corporis Christi habeat ad dictas dimensiones, vel anima Christi ad illas. Quarto, quod quantitas corporis Christi dat illi corpori esse quantum et divisibile, et situm naturalem partium in toto; non tamen dat ei situm partium in loco, qui est de speciali genere situs. Quinto, quod illa quantitas est in dicto sacramento quantitative, hoc est, quoad modum consequentem quantitatem in ordine totius ad partes, et talis accidentis ad suum subjectum, scilicet situm de genere quantitatis; non tamen est ibi quantitative quantum ad modum consequentem quantitatem in ordine ad continens separatum, quod est situs de prædicamento situs. Sexto, quod primus situs, vel positio, est inseparabilis a quantitate, scilicet ordo partium in toto; non autem secundus, scilicet ordo partium in loco extrinseco; potissimum ubi quantitas dimensionis est in aliquo loco per accidens, et mediante substantia, et per miraculum divinum, ut saepè dictum fuit.

(2) remanent. — manent Pr.

(6) a verbo ordinem usque ad sed, om. Pr.

(2) *Prædicamentis*. — *prædictis* Pr.

Dicitur secundo, ad argumentum, quod neutra probatio antecedentis assumpti procedit contra conclusionem. — Non quidem prima. Quia, in utroque casu ibidem posito, quantitas est proprie terminus productionis, scilicet creationis, aut generationis, et non solum concomitatur terminum productionis; et ideo nil mirum si in utroque casu quantitas habet utrumque situm, et utrumque modum quantitatium, scilicet extendere subjectum, et occupare locum. Sed secus est in proposito nostro. — Similiter nec valet secunda probatio. Quia, ut dictum est, in Eucharistia quantitas non est tanquam secundus terminus conversionis, aut transsubstantiationis, aut eujusunque productionis vel mutationis; nec proprie est ibi virtute aliquius talis actionis; sed mere per accidens, ex concomitantia subjecti. Et ulterius, in Eucharistia non variatur natura, nec aliquid naturale quantitati: quia non est sibi naturale habere comparationem ad dimensionem extrinsecam, vel locum, sub quo non est per se, nec ratione sui, sed solum ex concomitantia subjecti, ut sepe dictum fuit in probatione secunda conclusionis.

Ad secundum, negatur consequentia principalis. Quia terminus *a quo* conversionis, scilicet substantia panis, erat in loco ratione propriarum dimensionum, et consequenter erat ibi quantitative utrumque modo; sed terminus *ad quem* non est in dicto loco ratione propriarum dimensionum, sed ratione dimensionum panis; aliter autem est aliquid in loco ratione propriarum dimensionum, et aliter ratione dimensionum non sibi inherentium, sed separatum. De hoc sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 1, art. 2, in solutione secundi tertiae quaestiunculae, sic dicit: « Quia dimensiones corporis Christi non sunt ibi ex vi sacramenti, sed solum ex eo quod inseparabiliter concomitantur substantiam, constat quod contrario ordine sunt ibi dimensiones proprie corporis Christi, et dimensiones corporis locati in loco. Corporis enim locati substantia non habet ordinem ad locum nisi medianibus dimensionibus; et ideo, quia dimensiones corporis locati non possunt esse simul cum aliis dimensionibus, sequitur quod ex consequenti substantia corporis locati non possit esse simul cum aliis dimensionibus separatis, nec in alio corpore existentibus. Sed hic e contrario substantia corporis Christi ordinatur per se immediate ad hoc quod sit sub sacramento, et dimensiones ejus proprie ex consequenti et per accidens. Substantia autem, ex hoc quod est substantia, non prohibetur esse cum dimensionibus quibuscumque, sive coniunctis sibi, sive separatis, aut existentibus in alio subjecto; sicut substantia angeli potest esse simul ubi est aliud corpus. Et ideo corpus Christi potest esse sub dimensionibus panis cum propria quantitate. » — Hec ille. — Item, art. 3, in solutione ad

tertium tertiae quaestiunculae, sic dicit: « Spiritum convenit esse totum in toto, et in qualibet parte; quia non habet quantitatem, nec substantia ejus a quantitate dependet. Corpus autem Christi, quamvis in se consideratum non absolvatur a propria quantitate, tamen non comparatur ad hostiam sub qua est, secundum propriam quantitatem; et ideo non est spiritus; sed participat, quantum ad aliquid, proprietatem spiritus, secundum comparationem ad species sub quibus continetur. » — Hec ille. — Item, art. 1, in solutione quinti, sic dicit: « Nullum corpus comparatur ad locum nisi medianibus dimensionibus quantitativis; et ideo ibi est corpus aliquod ut in loco, ubi commensurantur dimensiones ejus dimensionibus loci. Et, secundum hoc, corpus Christi est in uno loco tantum, scilicet in celo. Sed quia conversa est in corpus Christi substantia panis, que prius erat in hoc loco determinata medianibus dimensionibus suis, que manent transsubstantiatione facta, ideo manet locus, non quidem habens immedie ordinem ad corpus Christi secundum proprias dimensiones, sed secundum dimensiones panis remanentes, sub quibus succedit corpus Christi substantia panis; et ideo non est hic ut in loco, per se loquendo, sed ut in sacramento, non solum significante, sed continente (2) ipsum ex vi conversionis factae in ipsum, etc. » — Hec ille, ut in precedenti questione (concl. 2) allegatum fuit.

Ad tertium patet responsio per predicta. Conceditur enim quod corpus Christi sub sacramento habet situm de genere quantitatis. Unde sanctus Thomas, ubi supra (4. *Sentent.*, dist. 40, q. 1), art. 3, in solutione secundi tertiae quaestiunculae, sic dicit: « Confusio opponitur ordini partium, qui (6) pertinet ad rationem situs. Et quia corpus Christi non est situatiter sub sacramento, ideo non sequitur ibi aliqua confusio partium ex hoc quod in qualibet signato hostie est totum corpus, et qualibet pars ejus. Quamvis enim non sit accipere ordinem partium corporis Christi secundum comparationem ad partes hostie, tamen est accipere ordinem ipsarum partium ad invicem in corpore Christi secundum propriam quantitatem. » — Hec ille. — Ex quibus, et multis aliis superius allegatis in praesenti distinctione, patet quomodo quantitas corporis Christi est in Eucharistia quantitative, et quomodo non; et quem situm habet, et quem non; et quomodo modus essendi sub sacramento est super, vel praeter, vel contra naturam, et quomodo non; hoc addito, et semper presupposito, quod semper divina virtus novos modos essendi potest dare tam substantie corporis Christi quam sue dimensioni, qui tamen modus non repugnat naturae illarum, nec

(2) *continente.* — *concipiente* Pr.

(6) *qui.* — *que* Pr.

convenit eis nisi tantum secundum potentiam obedientialem, et non secundum naturalem potentiam passivam.

Et hoc sufficit ad argumenta Scotti.

**III. Ad argumenta Aureoli.** — Ad primum Aureoli contra eamdem conclusionem, dicitur primo, quod in Eucharistia non totaliter absolvitur quantitas a legibus quantitatis, nec ab aliquo sibi necessario convenienti intrinsece, sed a quadam respectu extrinsecus adveniente, vel a quadam effectu accidentaliter. — Dicitur secundo, quod, posito quod quantitas absolvatur ibi a quadam lege extrinseca, hoc non est totaliter, nec principaliter, nisi a virtute divina efficiente, et non ex concomitantia substantiae, nec ex aliquo creato; licet aliqua negatio vel respectus sit dispositio ad illam absolutionem, puta quod quantitas non est in Eucharistia tanquam terminus conversionis, nec virtute sacramenti, sed ex inseparabili inhaesione et concomitantia subjecti. — Dicitur tertio, quod instantia, vel similitudo adducta de quantitate interminata, non est ad propositum, secundum predicta. Tum quia dimensiones interminate, vel quantitas interminata concomitantur formam substantiam in materia, tanquam terminus productus vel comproductus per generationem terminatam ad formam substantiam, aut per aliam productionem vel mutationem praeviam aut subsequentem generationem, et non mere per accidens; non sic est de quantitate corporis Christi in Eucharistia. Tum quia illae dimensiones sunt in materia virtute mutationis; non sic in Eucharistia, in qua nulla quantitas vere et realiter producitur, nec vere aliquid in quantitatem convertitur, nec ad Eucharistiam realiter moveatur aliqua quantitas. Et multe aliae dissimilitudines adduci possunt; potissimum quia in qualibet generatione simplici prius dispositio est conversio quantitatis in quantitatem, quam unius forme substantialis in aliam. Quid autem sentiendum sit de dimensionibus interminatis, diffuse dictum fuit, 2. *Sentent.* (dist. 18, q. 1), et forte in sequentibus adhuc dicetur.

Ad secundum dicitur primo, quod positio nostra non dicit quod substantia sit in Eucharistia omnino absoluta in se et intrinseca a legibus quantitatis, cum ponat substantiam corporis Christi habere esse quantum et divisibile, et ordinem partium in toto, et distinctionem partium organicarum; sed dicit quod absolvitur a quadam secundaria lege quantitatis, quae est, per quantitatem comparari ad locum, et habere situm localem, et ordinem partium in loco. Hac enim proprietas non necessario consequitur quantitatem nec ejus subjectum, nisi quando quantitas primo et per se habet ordinem ad locum vel ad dimensiones exteriores, ut saepe dictum fuit; cuius oppositum est in Eucharistia. — Dicitur

secundo, quod illo modo quo quantitas corporis Christi in Eucharistia absolvitur a lege vel proprietate extrinseca, illo modo absolvitur a divisibilitate extrinseca: quia scilicet non concluditur loco, et habet quemdam modum indivisibilitatis et spiritualitatis in ordine ad extrinsecum, ut dictum fuit de substantia, prius. Sed siue non absolvitur a lege intrinseca quantitatis, ita nec ab intrinseca divisibilitate; nec habet intrinsecam indivisibilitatem in se, nec in ordine ad subjectum proprium.

Ad tertium patet responsio per predicta. Concludit enim unum concessum a nobis, scilicet quod quantitas corporis Christi dat ei omnem effectum formalem quem quantitas dat suo subjecto intrinseca. Non tamen concludit quod det ei respectum de genere *ubi*, aut situs, in ordine ad Eucharistiam aut ad locum Eucharistiae, ut sapissime replicatum fuit.

Ad quartum patet per idem. Conceditur enim quod substantia corporis Christi, ut in sacramento, habet divisibilitatem, et partes, et situm partium in toto, de genere quantitatis; et sic est ibi quantitative aliquo modo. Non autem habet divisibilitatem aut situm in ordine ad species Eucharistiae, nec ad locum carum; et sic aliquo modo est ibi non quantitative, et indivisibiliter, et modo spirituali, in ordine ad extrinsecum, modo prius exposito.

Ad argumentum contra questionem (α), respondeat sanctus Thomas, 3 p., q. 76, art. 1, in solutione primi, dicens: « Quia conversio panis et vini non terminatur ad divinitatem, vel ad animam Christi, consequens est quod divinitas, vel anima Christi, non sit in hoc sacramento ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia. Quia enim divinitas corpus assumptum nunquam depositit, ubicumque est corpus Christi, necesse est et ejus divinitatem esse. Et ideo in hoc sacramento necesse est esse divinitatem Christi, concomitantem ejus corpus. Unde in symbolo, vel synodo Ephesina (6), legitur: *Participes efficiemur corporis et sanguinis Christi, non ut communem carnem percipientes, nec (γ) viri sanctificati et Verbo conjuncti secundum (δ) divinitatis unitatem, sed vere vivificatricem, et ipsius Verbi propriam factam.* Anima vero realiter fuit separata a corpore in triduo. Et ideo, si in illo triduo mortis fuisset hoc sacramentum celebratum, non fuisset ibi anima, nec ex vi sacramenti, nec ex reali concomitantia. Sed quia *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*, ut dicitur, *Roman. 6* (v. 9), anima ejus semper est realiter carni unita. Et ideo in hoc sacramento est

(α) questionem. — conclusionem Pr.

(6) Act. Concilii Ephesini, part. 1, cap. 26; Epist. Cyrilli ad Nestor., cap. 6. — Cfr. can. *Necessarie*, dist. 2, *de Cons.*

(γ) *percipientes, nec. — participantes, ut* Pr.

(δ) *secundum. — sed* Pr.

corpus Christi ex vi sacramenti, anima autem ex reali concomitantia. » — Hæc ille.

Et hæc de questione sufficient. De qua benedictus sit Deus. Amen.

## QUÆSTIO III.

UTRUM CORPUS CHRISTI SIT IN EUCHARISTIA MOBILITER,  
HOC EST, UTRUM IBI MOVEATUR LOCALITER

**P**unsus circa eamdem decimam distinctionem queritur: Utrum corpus Christi sit in Eucharistia mobiliter, hoc est, utrum ibi moveatur localiter.

Et arguitur quod non. Quia impossibile est idem esse motum et quietum; quia sic contradictoria verificarentur de eodem. Sed corpus Christi in celo quietum residet. Non ergo movetur in hoc sacramento. » — Hæc ille.

In oppositum arguitur. Quia dicit Philosophus, 2. *Topicorum* (cap. 3, loc. 24), quod, *motis nobis, moventur omnia quæ in nobis sunt*; quod quidem verum est etiam de spirituali substantiâ animæ. Sed Christus est in hoc sacramento. Ergo movetur ad motum ipsius.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

### ARTICULUS I.

#### PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio:** Quod Christus, secundum esse quod habet in Eucharistia, non movetur per se.

**Secunda conclusio** est quod potest moveri per accidens localiter, ad motum Eucharistiae.

Has duas ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 76, art. 6, ubi sic dicit: « Cum aliquid est unum subjecto, et multiplex secundum esse, nihil prohibet ipsum secundum aliquid moveri, et secundum aliud immobile permanere: sicut corpori aliud est esse album, et aliud esse magnum; unde potest moveri secundum albedinem, et permanere secundum magnitudinem immobile. Christo autem non est idem esse secundum se, et esse sub sacramento; quia per hoc quod dicimus ipsum esse sub sacra-

mento, significatur quedam habitudo ejus ad hoc sacramentum. Secundum ergo hoc esse non moveatur Christus per se secundum locum, sed solum per accidens: quia Christus non est in hoc sacramento sicut in loco; quod autem non est in loco, non moveatur per se in loco, sed solum per motum ejus in quo est. Similiter autem neque per se moveatur secundum esse quod habet in sacramento, quacumque alia mutatione, puta quantum ad hoc quod destinat esse sub sacramento. Quia illud quod habet esse indeficiens, non potest esse deficiendi principium, sed, alio deficiente, hoc esse desinit in eo; sicut Deus, cuius esse est indeficiens et immortale, desinit esse in aliqua creatura corporali, per hoc quod creatura corporalis desinit esse. Et hoc modo, cum Christus habeat esse indeficiens et incorruptibile (a), non desinit esse sub sacramento, neque per hoc quod ipsum destinat esse, neque etiam per motum localem sui; sed per hoc quod species hujus sacramenti destinunt esse: Unde patet quod Christus, per se loquendo, immobiliter est in hoc sacramento. » — Hæc ille.

Item, in hæc distinctione, q. 4, art. 3, in solutione quartæ quæstiuncula, sic dicit: « Moveri in loco, includit esse in loco; unde ad hoc quod aliquid per se moveatur in loco, oportet quod per se sit in loco, et quod per se moveatur, non ad motum alterius. Sed per accidens aliquid moveatur in loco dupliciter: uno modo, quia per accidens est in loco; alio modo, quia per se est in loco, sed per accidens moveatur in loco; sicut patet in his quæ vobuntur, quia locus quem mutant, est per se eorum proprius locus, vel communis. Corpus autem Christi in loco quem species mutant, non est per se, neque sicut in loco proprio, neque sicut in loco communi, sicut ex dictis patere potest. Et ideo per se in illo moveri non potest; neque per accidens, sicut corpora per accidens moveantur; sed hoc modo quo aliquid et per accidens est in loco et per accidens moveatur. Nec differt, ut quidam dicunt, dicere utrum species moveantur in eodem loco, aut transferantur de loco ad locum; quia quod in eodem loco manens secundum substantiam moveatur, mutant locum, non solum secundum partes, sed secundum totum, ut in 6. *Physicorum* (1. c. 74) probatur. » — Hæc ille.

Ex quibus possunt formari rationes pro utraque conclusione. — Pro prima, talis: Omne quod per se moveatur localiter in aliquo, per se est in illo ut in loco. Sed Christus non est in Eucharistia ut in loco; nec est per se in loco Eucharistiae, sed solum per accidens. Ergo non per se moveatur localiter secundum esse quod habet in Eucharistia. — Pro secunda conclusione arguitur sic: Quod continetur in aliquo localiter moto secundum se et quodlibet sui, et non separatur ab eo quādū moveatur, tale

(a) *incorruptibile*. — *incorporale* Pr.